

# E P I S C O P A T V S D V N E L M E N S I S.



**E**piscopatus Dunelmensis, vulgo *The Bishopricke of Durham*, sive *Duresme*, Eboracensibus ad Septentrionem confinis, in trianguli speciem efformatur, cujus apex ad Occasum coeuntibus ibi Septentrionali limite & *Tesis* fontibus figuratur. Laterum alterum quod Meridiem spectat, continuo *Tesis* decursu terminatur: alterum quod Boream intuetur, primum brevi ab apice linea ad *Derventum* flumen, inde *Dervento* ipso, donec *Chopwell* amniculum admiserit, & deinde *Tina* flumine describitur. Basim vero trianguli, quæ Ortum respicit, ora maritima affingit, quam magno fremitu Oceanus Germanicus gravissime diverberat.

Qua in apicem coarctatur, campi sunt nudi, sylvæ satis raræ, colles glabri, sed non sine ferri venis, convalles autem satis graminosæ, Angliæ enim Appenninus, quem dixi, hunc angulum interfecat. Ad Orientalem autem partem, sive trianguli basim, uti etiam ad latera, culturæ terra est perquam grata, reditusque cum agricolarum labore contendunt, pratis, pascuis, arvis distincta, oppidis passim confita, & carbone fossili, quo pro ignis alimento plurimis in locis utimur, copiosa. Carbonem hunc aliqui bitumen terrenum nigrum, alii Gagatem, alii Thracium lapidem esse volunt, quæ omnia eandem rem esse probavit magnus ille in rebus Fossilibus philosophus Georgius Agricola. Certe hic noster nihil aliud est quam bitumen calore sub terra induratum, & excoctum, bituminis enim odorem reddit, & si aqua aspergatur, acrius & luculentius ardet, an vero oleo extingatur non sum expertus. Si vero obsidianus lapis apud nos sit, illum esse credam qui aliis Angliæ locis reperitur, & *Canole Cole* vulgo appellatur: est enim durus, splendidus, levis, & assulatim subscissilis, accensusque cito ardet. Sed hæc illis, qui naturæ penetralia penitus rimantur, relinquamus.

Sea Cole.  
Carbo  
fossilis.

Obsidia-  
nus lapis.

Canole  
Cole.

S. Cuth-  
berti pa-  
trimoniis.

Totam hanc regionem cum aliis etiam vicinis *S. Cuthberti Terram*, sive *Patrimonium* vocant in suis scriptis Monachi. Sic enim vocarunt illi, quicquid ad Dunelmensem spectavit Ecclesiam, cujus Cuthbertus quasi patronus habetur, qui in prima Saxonica ecclesiæ infantia Lindefarnensis Episcopus vitam tanta sanctitate, & integritate transegit, ut inter Divos relatus fuerit. Regesque nostri, & proceres, quod tutelarem illum fuisse Divum contra Scotos crediderint, non solum ejus corpus devoti sæpenumero inviserint, quod integrum incorruptumque durasse persuaserunt scriptores; sed etiam amplissima latifundia donarint, & plurimas immunitates irrogarint. Egfridus Rex magnos reditus in ipsa urbe Eboraco, *Crecam*, quam dixi, & *Luguballiam* civitatem ipsi Cuthberto vivo dedit, ut est in hi-

storia Dunelmensi. Alfredus Rex, & Guthrunus Danus, quem ille Nordanhumbri præfecit, postea totam terram inter *Were fl.* & *Tinam* (libri antiqui verbis utar) *Cuthberto*, & in ejus ecclesiæ ministrantibus perpetuo possessionis jure largiti sunt, ex qua illis, ne inopia laborarent, vitæ subsidia procurantur; præterea ejus ecclesiæ tutum profugis locum refugii constituerunt, ut quicumque, qualibet de causa ad ejus corpus confugerit, pacem per triginta septem dies nulla unquam occasione infringendam habeat. Edwardus, Athelstanus, Reges, & Cnuto, sive Canutus Danus, qui nudis pedibus ad Cuthberti tumulum accessit, has leges & libertates non modo confirmarunt, sed statim auxerunt: nec minus Guilielmus Normannus, à cujus statim tempore Comitatus Palatinus judicatus est, & Episcopi nonnulli tanquam Comites Palatini sigillo insculperunt militem cataphractarium phalerato equo insidentem altera manu gladium vibrantem, altera insignia Episcopatus prætendentem. Iuraque sua regalia habuerunt Episcopi, adeo ut proscriptorum bona illis, non regi cederent, & ipsa plebs immunitatibus elata militare in Scotia sub rege recusavit. Dicebant enim (historia Dunelmensis pro me loquetur) *se esse Halwerke Folkes*, id est, sacro operi ascriptitios, & terras suas tenere ad defensionem corporis *S. Cuthberti*, nec debere se exire terminos Episcopatus, scilicet ultra *Tinam* & *Tesam*, pro rege, vel episcopo. Verum Edwardus Primus has libertates primus præcidit. Cum enim ille se tanquam arbitrum honorarium inter Antonium Beccum Episcopum & Priorem, de possessionibus inter se acriter digladiantes interponeret, nec illi ex ejus arbitrio facerent, *seisvit* (inquit auctor meus) *libertatem Episcopatus in manum suam*, & *ibi rimata sunt multa*, & *libertas in multis lesa*. Iura tamen sua postea recuperavit ecclesiæ, illasque tenuit usque ad Edwardum Sextum, cui, dissoluto Episcopatu, omnes ejus reditus, & libertates, ordines in Parlamento concesserunt. Sed statim Maria Regina eadem autoritate hanc constitutionem refixit, & omnia facta tecta ecclesiæ restituit, quibus hodie gaudet. Nuper enim Iacobus Pilkintonus Episcopus REGINAM ELIZABETHAM de possessionibus & bonis Caroli Nevill Comitis Westmorlandiæ, & aliorum in hoc agro proscriptorum, qui in patriam bellum nefarie moverant, in jus vocavit, causamque persequutus esset, nisi autoritas Parliamentaria intercessisset, & pro eo tempore (sic se habent verba) Regiæ adjudicasset, quod impensis suis maximis cum episcopum tum episcopatum è seditionum faucibus eripuisset. Sed his omissis ad locorum descriptionem jam stilum promovemus.

Flumen quod Meridionalem hujus agri partem vallat, Latinis *Tesis* & *Teiso*, vulgo *Tees*, Poldoro Italo, cui suæ Italiæ *Arbesis* animo obversabatur, sine ulla ratione *Arbesis* dicitur, Ptolemæo

Comita-  
tus Palati-  
nus.

Tees fl.